GERMANIA.

GERMANIA Europæ terrarum maxima, multis diſtincta nominibus, cuius termini ab Auctoribus, vt quiſque ſui temporis rationem ſequutus eſt, adeò variè deſcribuntur, vt triplicem quaſi Germaniam, ſecundum eius ætatem, facere videantur; Veterem nempè, Mediam, & Recentem. Veterem vocabimus Beroſianam, quam Rheno, Oceano, Tanai, Ponto Euxino, Danubio, eiuſque accolis circumſcribit. Media erit, quam Tacitus, Ptolemæus, & Plinius, coætanei ferè, cognouerunt; quæ, cùm ex ipſis Auctoribus ſatis nota ſit, non opus videtur hîc denuò eam deſcribere. Porrò recens Germania, quæ noſtra eſt memoria vſitatior, vltra Rhenum eatenus eſt extenſa, vt omnes fermè Belgas, vſque ad Alpes Tridentinas contineat. Ita quoque vltra Viſtulam Ortum verſus vſque ad Schytas Alanos, quos hodie Lithuanos appellamus, pertinet; Eritque eius longitudo ab Iccio portu vulgò Cales, vſque ad Lithuaniæ fines: Habebitque latitudinem à Mari Germanico, Venedicoque, ad Alpes vſque. Hæc Germania hodie pulcherrimis, munitiſsimiſque Vrbibus, Caſtris, pagis, incoliſque refertiſsima, vt nec Italiæ, nec Galliæ, neque Hiſpaniæ cedere debeat. Habet frumenta, vineta, amnes piſcoſos, quibus facilè cum fertiliſsimis Regionibus certare poſsit. Sunt fontes aquæ dulcis, ſunt thermæ calidæ, ſunt mineræ ſalis plurimæ. Metallorum autem, nempe auri, argenti, ſtanni, plumbi, æris, & ferri copia: nullis unquàm ceſſura eſt Regnis. Quin etiam vrbanitas, & morum ciuilitas, veſtitus honeſtus, rei militaris peritia apparatuſque bellorum, & nobilitas nullibi maior. Hæc illa eſt, quæ olim, vt Cornelius Tacitus teſtatur, in uniuerſum aut ſyluis horrida, aut paludibus fœda fuit. Hanc ex Neotericis magna diligentia deſcripſerunt, Beatus Rhenanus; Munſterus in ſua Coſmographia; Franciſcus Irenicus; Ioannes Auentinus in Boiorum annalibus; Obiter Bilibaldus Pirckeymerus, Gerardus Nouiomagus, Chonradus Peutingerus, Chonradus Celtes poëta, Iacobus Wimphelingius Seletſtadienſis, Aimoinus in fronte libri hiſtoriarum Francorum, & Pantaleon in principio libri primi Proſopographiæ, Sebaſtianus Brand multa per eum Itineraria, locorumque diſtantias, & fluminum decurſus annotauit. Iohannes Herold de ea duos libellulos aedidit, vnum de Germaniae Veteris locis antiquiſsimis, nonnulliſque in ea Romanorum ſtationibus, legionibuſque: alterum de Romanorum in Rhetia littorali ſtationibus. Gaſparus Bruſchius de Monaſteriis Germaniæ, volumen in lucem dedit. Ex veteribus hanc diligentiſsimè deſcripſit Corn. Tacitus peculiari opuſculo, quod doctiſsimis commentariis illuſtrarunt Andreas Althamerus, & Iodocus Willichius. Plures Germaniæ ſcriptores, quos nos non vidimus, enumerat Franciſcus Irenicus lib. 1. Cap. 2. Exegeſeos Germaniæ.


GERMANIA.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
ANGLIAE PARS
GALLIAE PARS.
FLANDRIA
ARTESIA
HANNONIA.
BRABANTIA
ZELANDIA
HOLLANDIA
FRISIA.
WESTFALIA
CLIVIA.
GELDRIA
LVXELBORG.
LOTHARINGIA
ALSATIA.
HASSIA
TVRINGIA
SAXONIA
MISNIA
MECKELBVRG
MARCA
NOVA MARCA
LVZATIA
POMERANIA.
PRVSSIA.
POLONIA
SILESIA
BOHEMIA.
MORAVIA
FRANCONIA
SVEVIA
BAVARIA.
AVSTRIA.
HVNGARIA.
TIROLIS.
HELVETIA
BVRGVNDIA.
SABAVDIA
Lombardiæ pars
SINVS ADRIATICI PARS.
RVGEN
Venetia
Miliaria Germanica, magna, mediocria & parua hec ſcala continet
Cum priuilegio.